

secum trahat, & excommunicatus per denunciationem amplius non ligetur, excommunicatum denunciare potest, ut ab aliis evitetur. Et illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesie communitio denegatur.

XXVI. Ratio proinde hujus Juris esse videtur, quod sententia excommunicationis alteriusve censuræ videatur secum trahere executionem; neque indigeat ulterius ullo alio Judicis ministerio, ut executioni mandetur, quemadmodum in aliis sententiis; pro quarum executione post eorum prolationem requiritur Judicis auctoritas, quæ per appellationem ad Judicem superiorem translata & à Judice à quo adempta est: ac proinde ejus auctoritate executioni mandari nequit.

XXVII. Hinc facile intelligitur, quare in casu cap. 40. De appellat. effectum excommunicationis impediatur. Erat enim lata excommunicatio sive censura sub conditione; hac formula: Nisi Sempronio intra 20. dies satisfeceris te excommunicatum, vel suspensum aut interdictum esse cognoscas; ac per consequens necdum executionem secum trahere potuit: ideoque si ante lapsos 20. dies appellaverit, licet postmodum ad diem statutum non satisfecerit, sentit Pontifex, sibi videri, quod hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire. Unde hic notat Glossa: "Et ita suspenditur sententia, quæ nondum tenet." Non enim tenebit, nisi extante conditione: ex quo autem teneat, non suspenderetur ejus effectus.

XXVIII. Sunt & nonnulla tribunalia, quorum sententia licet ulterius examinari queant, & etiam corrigi, nequaquam interim cognitione pendente, sententiarum effectus suspendit; quemadmodum de sententiis primariorum Civitatum Brabantiae & aliorum nonnullorum Magistratum, à quibus non appellatur, sed reformatur; item Suprematum Curiarum, quæ per Revisionem seu propositionem erroris nonnumquam corriguntur, ostenditur titulo sequenti.

XXIX. Hujusmodi Jure utitur quoque tribunal Academiae quod vocatur quinque Judicum appellationum (de quo supra c. 3.) Si enim sententia quinque Judicum sit conformis sententiae Domini Rectoris à qua fuit appellatum, tunc sententia hæc Quinque Judicum executioni mandatur non obstante appellatione ad Sedem Apostolicam juxta Statutum Universitatis de 26. Februarii 1572. & à Senatu Brabantiae confirmatum 7. Decembris, 1570. Verba Statuti sunt: "Quod omnes & Singuli, qui ratione seu ad causam, puta vel purificata obligationis in Jus vocati, eandem obligationem pro sua recognoscunt, vel binis sententiis conformibus, à Domino Rectoris precipue complectitur abusu, bus vel etiam condemnati, ulteriore dilatione, oppositione, seu tergiversatione, novâq; appellatione interpositâ, non obstantibus, tenebuntur infra tempus statutum ad summam, seu rei in eodem chirographo, binisve sententiis contentæ nantizationem, salvo ipsi nantizanti suo Jure, si quod habet, ubi & contra quos id prosequendum putabit utilissimum.

Extat hoc Statutum unâ cum acta confirmationis ejusdem Statuti per Regiam Majestatem in Concilio Brabantiae parte 3. Edit. Brabantiae lib. 1. tit. 5. c. 31. & 32.

XXX. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciae Mech. tit. 16. art. 7. volunt, ut sententia, quæ non excedent quinque mandantur, non obstante appellatione, & sine illius præjudicio.

XXXI. Et art. 8. "In causis officii, deflorationis, & simili- bus privilegiatis, cum sententia excedat dictam summam, tamen quoad expensas litis, sub simili cautione, executioni sententia mandantur. Quod in causa matrimoniali etiam sub cautione obtinebit, quotiescûmq; pars appellata pauperitate juraverit; nequâ in dictis casibus Judex à quo ulterius appellatiōi deferre tenebitur.

XXXII. Deinde art. 9. "In causis verò alimentorum nunquam appellatio executionem sub cautione faciendâ suspendet, quando agetur de alimentis cessuris, vel cessis

tempore litis, aut intra annum; secus in antiquioribus, nisi ob ea adhuc obærata Pars doceatur.

XXXIII. Denique ne occasione interjectæ appellationis in causis Beneficialibus Officium Divinum negligatur, art. 11. decernitur: "In causis Beneficialibus, quo minus Eccles. siastica servitia minuantur, etiam si appellatum erit, fructuum perceptio victori sub cautione tribuetur, aut saltem apud tertiam personam sequestrabuntur, quod ultimum semper fiet, quoties neuter litigantium resistebit.

CAPUT IV.

De Reformatione, Revisione & Appellatione tamquam ab abusu.

- 1 Quid reformatio?
- 2 Qui Magistratus in Brabantia hoc jure utantur?
- 3 In quo reformatio ab appellatione differat?
- 4 Nonnulla Civitates in Flandria eo jure gaudent.
- 5 Ab appellatione magis recedit Revisio, quam reformatio
- 6 Describitur Revisio seu propositio erroris.
- 7 Revidendi licentia debet per libellum obtineri à Principe ejusve Senatus.
- 8 Hic libellus continere debet errores quos in Sententia intervenisse pretendit Supplicans.
- 9 Plerumque peti debet intra biennium.
- 10 In Gallia, uti & in Brabantia instituenda intra annum.
- 11 Judices arreſti etiam interveniunt revisioni ejusdem arreſti.
- 12 His Judicibus aliis à Principe adjunguntur, qui Adjuncti
- 13 Tenentur impetrans intra tres menses ab impetrata acta revisionis petere à Principe nominari adjunctos.
- 14 Revidens tenetur nantizare summam pecunia qua pro expensis adjunctorum sufficiat.
- 15 Qui in Belgio ad Revisiones evocari soleant?
- 16 Adjuncti nominari non possunt ad postulationem Revidentis.
- 17 Juramentum adjunctorum.
- 18 Revisio non datur ubi arrestum tantum latum est in causa possessionis.
- 19 Uti nec contra decreta interlocutoria.
- 20 Revisio instituenda ex usdem actis.
- 21 Revisio non suspendit arreſti executionem; nequidem quoad expensas.
- 22 Species provocationis à communi appellatione plurimum recedens dicta appellatio ab abusu.
- 23 Formula hujus appellationis precipue complectitur abusu quem Judex Ecclesiasticus committit.
- 24 Hac species appellationis vix nota fuit ante seculum 16.
- 25 Sub initium seculi 16. adhuc non appellabatur tamquam ab abusu ob violatam Pragmaticam Sanctiōnem.
- 26 Tunc contra violatores Pragmatica Sanctiōnis agebatur via nullitatis. (ab abusu.)
- 27 Ubi non erat expressa nullitas appellabatur tamquam
- 28 Præter appellationes ab abusu aliis remediis utebantur ad retinendam Canonum & Legum observantiam.
- 29 Omnia illa media post publicata Concor data sensim abrogari ceperunt retenta solâ appellatione tamquam ab abusu; & qua precipua abrogationis occasio.
- 30 Super quibus appellationes tamquam ab abusu instituuntur?
- 31 Diversa forma eas interponendi dum agitur contra Bullam aut Rescriptum Pontificis, & dum instituuntur contra sententias aut Decreta Episcoporum aut aliarum Judicum.
- 32 Hæ appellationes tantum instituenda & recipienda ubi abusus est notorius.
- 33 Jam pridem optavit Philippus Probus ut nominatim per Concilium Trid. casus, quibus hæ appellationes recipi possent, fuissent expressi.
- 34 Hanc determinationem sapius à Rege postulavit Clerus Gallicanus; sed obtinere non potuit.

35 Appel-

35 Appellatio hæc admitti non debet, nisi in causis arduis, & ubi publicum patereatur.

36 Ideo in his appellationibus semper intervenit procurator Regius tamquam pars formalis.

37 Abusus semel formatus semper durat.

38 Lapsus fatalium non reddit hanc appellationem desertam respectu procuratoris Regii.

39 Etiam interdum admittitur contra tres sententias conformes. (Curis.)

40 Hæ appellationes non instituenda nisi coram supremis

41 Appellatione hæc introducta ligantur manus Judicis à quo

42 Si appellatur à correctoris non suspenditur executio; nec mandata Episcoporum in visitatione facta.

43 Principes nostri nolunt per hæ appellationes turbari jurisdictionem Ecclesiasticam; & quomodo procedi velint, si hæ limites suos excedat?

44 Non volunt eas admitti ubi de correctione Religiosorum aut Clericorum agitur.

45 Idipsum & in Hispania obtinet.

46 Datur tamen etiam Religiosis recursus ad tribunalia Regia ob illatam violentiam.

47 Recursus ad tribunalia Regia titulo violentia vel oppressionis; nem retentio litterarum Apostolicarum alibi usitata pene coincidunt cum appellationibus tamquam ab abusu.

I. Reformatio hic accipitur pro quadam specie provocationis, quæ hic in Belgio & alibi instituitur, à sententiis quorundam tribunalium inferiorum, à quorum sententiis ad superiora tribunalia provocari quidem potest, sed non per modum simplicis appellationis sed reformationis.

II. Hoc privilegio hic in Brabantia gaudent quatuor primariæ civitates, Lovaniensis, Bruxellensis, Antverpiensis & Silva-ducentis, & alia nonnulla privilegiata, de quibus loquitur art. 585. O. dinat. Curia Brabantiae, quo decernitur: Si quis queratur de sententia lata à Magistratu, dictarum civitatum, quæ non sit appellabilis, sed reformabilis, teneatur ab ea reformare intra annum à die late sententia; & non obstante hac reformatione, sententia mandabitur executioni etiam sine cautione, casu quo id quod executioni mandatur per sententiam sit reparabile; nisi reformans infra 14. dies à lata sententia declararet coram Judicibus à quo se velle à sententia reformare; quo casu urgens executionem tenetur præstare cautionem restituendi executum. Verba articuli sunt: Ende inden hem temande beklaght van de vonnissen ghegheven by den Weir-houderen van eenen van de vier Hoofsteden ons landts van Brabant, oft andere steden geprivilegieert, heure vonnissen niet appellabel, maer alleen reformabel zynde, die sal daer af moeten reformeren binnen den jare van den datum van den vonnisse, ende niet tegenstaende die voorsz. reformatie soo sullen aisulcke vonnissen ter executien ghestelt worden sonder cautie, so verre't gheene dat men executeren sal reparable zy, ten vware dat den reformant binnen vyfshien daghen naer de sententie, verclaerde in presentie van den Rechtere ghegheven hebbende die sententie, dat hy io meyninghe is te reformeren, in vvelcken ghevalle die gheene die d' executie vervolgen sal, sal ghehouden zyn te stellen sufficientie cautie vant gheexecuteerde te restituieren. Id est: Si verò quisquam conqueratur de sententia lata per Magistratum alicujus de quatuor primariis Civitatis ditionis notatæ Brabantiae, aut alterius Civitatis privilegio donatæ, quarum sententia reformationi tantum, non autem provocationi obnoxia sunt, is intra annum à lata sententia reformationem persequetur, quæ reformatione non obstante, mandabitur executioni sententia absque cautione, nisi modo id quod executioni mandabitur sit reparabile, nisi tamen reformationem intendentes intra quindecim dies à lata sententia coram Judice qui eam dixit, mentem suam persequendæ reformationis aperiret, quo casu is qui urge-

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

bit executionem obstringetur, ut sat s caveat de restitutione executionis.

III. Hinc facile apparet, in quo reformatio differat ab appellatione; & in quo horum tribunalium prærogativa præcipue consistat; nimirum, quod per reformationem ab eorum sententiis non suspendatur earum executio, quemadmodum per appellationem, sed executio habeatur, saltem sub cautione.

IV. Testatur quoque Damhouderus in praxi rerum Civil. c. 237. n. 4. quod "Reformatio non suspendat executionem in quatuor membris Flandriae: quia illa habent paratam executionem; adeo ut qui ab illis appellare vel reformare vult, is statim, non obstante appellatione, vel reformatione consignare tenebitur.

Hic rursus sufficienter innuit Damhouderus, Reformationem ab Appellatione penes solum effectum distingui, atque in hoc tribunalium illorum prærogativam præcipue consistere, quod eorum sententia executioni mandati queant, non obstante provocatione.

V. Magis à communibus regulis appellationis recedit Provocatio live querela quæ instituitur contra sententias sive arreſta Parliamentorum sive Supremarum Curiarum Regiarum; soletque dici Revisio vel etiam propositio erroris.

VI. Sicuti enim à sententiis Præfectorum Prætorio non datur appellandi facultas, sed dumtaxat datur licentia principi supplicandi, ut sententia prolata error demonstrari queat; ita quoque negatur facultas appellandi ab arreſtis sive sententiis Supremi Parlamenti, concessâ tantummodo Principi ejusve Senatui supplicandi licentia, ut ab ipso Principe vel ejus Senatu obtineatur ejusdem arreſti seu sententia prolata Revisio, sive reexamen, quo denud examinetur, num in ejusdem prolatione nullus error intervenit.

VII. Itaq; si quis credat per arreſtum sive sententiam Suprema Curia, à qua nec appellari nec reformari potest, se esse læsum; credatque errorem esse commillum, debet ipsi Principi vel ejus Curia supplicare, ut possit errorem contra judicatum proponere, sive revisionem habere.

VIII. Debet autem libellus, quo Principi ejusve Curia pro revisione supplicatur, continere gravamen seu errores, quos in ipso arreſto intervenisse pretendit Supplicans, quemadmodum notat Rebuffus in tractatu De Supplicationibus seu Errorum propositionibus in præfatione n. 17. cui & consonat art. 660. Ordinat. Curia Brabantiae, ubi expresse præscribitur, quod libellus pro habenda revisione offerendus Curia debeat continere media & rationes quibus probare contendit præsentium errorem. Inhoudende die middelen ende redenen by den vvelcken sy sullen vullen sustineren't vooz-johreven erreur. Id est: Continens (libellus) rationes & causas quibus dictum errorem probare contendit. Idipsum habetur in Ordinat. Parlam. Mech. tit. De revisione art. 1.

IX. Dicit Damhouderus in Praxi rerum Civil. cap. 247. hanc supplicationem olim fieri potuisse intra 10. annos ex stylo Parlamenti Mechliniensis; nunc verò intra duos annos per novam constitutionem, uti citato art. 1. exprimitur: quod conforme esse Juri communi in Auth. QUÆ SUPPLICATIONE Cod. De Precibus Imp. offerendis, & plurimarum Curiarum ordinationibus notat Christianus in notis ad Bagnyonium lib. 2. cap. 139. litt. C.

X. In Gallia tamen hodie intra annum impetrari debet, teste Rebuffo loco citato nu. 57. similiter in Ordinationibus Curia Brab. art. 660. edicatur, ut si qui contra arreſta hujus Senatus volunt proponere errorem, tenebuntur intra annum à pronuntiatione dictorum arreſtorum libellum suum supplicem Curia præsentare.

XI. Cum in revisione seu propositione erroris, non arguatur iniquitas sententia, aut inscitia vel malitia Judicis, sed solum dicatur, errorem aliquem intervenisse, & ad eum detegendum acta litis revideri petat Supplicans, ideo ipsa revisio sive propositio erroris instituenda est coram iisdem Judicibus, qui arreſtum proculerunt; ut ipsi acta revidentes, & à Supplicante instructi expendant, num error aliquis commissus appareat: nec debent esse, ait Rebuffus loco

Zzzz 2 cita. 0



citato num. 83. ita pertinaces, ut si videantur errasse, suos sustineant errores.

XII. Quia tamen difficulter adducuntur Judices ad fatendum errorem commissum, propriamque retractandam sententiam, hinc Judicibus qui pronuntiationi sententiae interfuerunt, solent à Principe aut Curia alii adungi, qui unà cum prioribus de proposito errore judicent; uti notat Rebuffus loco citato num. 83. Postquam enim dixit, revisioni sive propositioni erroris interesse eos Judices, qui primò judicantur, addit: "Postea Rex potest nominare alios plures, quam ipsi sint, qui prius judicantur: Si tamen Rex eos non nominaverit, Curia solet illos assumere, nec tamen minus assumit, quam essent in primo iudicio."

XIII. Per Ordinationes Parlamenti Mechl. tit. De Propositione erroris art. 4. statuitur, quod Impetrans intra tres menses ab impetrata acta revisionis, teneatur requirere à Principe, ut sibi concedantur Adjuncti, ad revidendum & revisitandum processum, qui ei concedantur in tali numero, qui conveniens videbitur. Verba articuli sunt: *L'Impetrant sera tenu en dedans trois mois à compter du jour dudite acte, requirer à nous de lui accorder Adjointz, pour recevoir, & revisiter ledit proces, lesquels lui seront accordés jusques à tel nombre que trouveront convenir.* Id est: Obstringetur Impetrans intra tres menses à die dictæ Actæ nos requirere, ut adjunctos ei concedamus ad recognoscendam & recolendam dictam litem, qui adjuncti ipsi concedentur, tali quidem numero qui judicabitur expedire.

Idipsum præscribitur a. 663. Ordinatio Curia Brabantia, nisi quod hic exprimitur Adjunctorum numerus Octonarius, & quod Supplicans nullos nominare in sua supplicia queat.

XIV. Volunt quoque utriusque Senatûs Ordinationes in citatis articulis, Adjunctos concedi sub conditione, quod Impetrans tenebitur nampitzare in Grapharia Curia tantam summam pecuniarum, quæ arbitrio Curia sufficiat solvendis vacationibus dictorum Adjunctorum. *À la charge que l'Impetrant sera tenu de nampitir au greffe de nostre dict grand Conseil aut ant de deniers qu'il semblera à icelle Cour estre requiré pour payer, & satisfaire les vacations de ledits Adjointz.* Id est: Sub onere quod Impetrans obstringetur tantam pecuniam summam in Graphio dicti nostri magni Consilii deponere, quanta dictæ Curia requirit videbitur, solvendis vacationibus dictorum adjunctorum.

XV. Vult insuper hic articulus Ordinationum Parlamenti Mechl. non alios in adjunctos designari, nisi Consiliarios Curiarum Regiarum, nisi ex causa aliter per Principem fuerit ordinatum: *Et ne seront poins autres Adjointz, si non gens de nos Consaulx, n'est que pour aucuns bons regards, autrement en soit par nous ordonné.* Id est: Nec alii adjuncti assumuntur, nisi Curiarum nostrarum Consiliarii, nisi ob justas rationes aliter per nos statuatur.

Ordinationes Curia Brabantia non determinant qualitate Adjunctorum: solentque hodie ad revisiones arrestorum supremarum Curiarum præter Regios Consiliarios, etiam vocari Doctores Juris hujus Universitatis.

XVI. Hoc addunt Ordinatio Curia Brabantia art. 664. vetitum esse concedere dictos Adjunctos, ad nominationem aut requisitionem Impetrantium. *Ende verbieden't accorderen eenige Adjointz ten ter nominatie oft vervolge vande Impetranten.* Id est: Inhibemus ne ad nominationem aut requisitionem impetrantium adjunctus quisquam concedatur.

XVII. In utriusque Senatûs Ordinationibus edicitur, quod Adjuncti per Curiam evocati tenebuntur comparere & jurare, quod debitam servabunt reverentiam huic Curia, quod in hac causa non fuerint consulti, nullumque directè aut indirectè Judicium dederint; quod opiniones suas sincerè dicent juxta conscientiam suam dictamen sine favore, odio aut dissimulatione, quod silentio prement ea quæ durante processu vilitatione audiverint, aut intellexerint. Verba articuli 5. Ordinationum Parlamenti Mechl. sunt: *Que ledits Adjointz mandez par ladite Cour, seront tenuz y comparoir, & à leur venue jurer, d'eux porter reverentement vers ladite Cour, & qu'ils n'ont donné advis, n'y*

*consulté audit proces directement, ne indirectement, & qu'ils donneront leur opinion sincerement, comme en leur conscience, & bonne justice, ils trouveront convenir, sans port faveur, haine, ou dissimulation, & qu'ils tiendront secret ce qu'ils oyront. & entendront du proces à la vilitation d'iceluy.* Id est: Quod dicti adjuncti per Curiam evocati comparere obstringentur, & in adventu suo jurare se reverentiam debitam erga dictam Curiam exhibituros, nec Judicio aut consilio directè seu indirectè in dicta lite se intervenisse, insuperque se opinaturos sincerè, prout juxta conscientiam & æquitatis dictamen judicabunt expedire, favore odio & dissimulatione sepositis, silentioque se pressuros quicquid in dicta litem recognitione audient & percipient. Eodem planè tenore exprimitur art. 665. Ordinatio Curia Brab.

XVIII. Cum autem hoc revisionis remedium sit planè extraordinarium; ideoque & de speciali gratia à Principe sit impetrandum, eidem locus non est, si aliud remedium ordinarium corrigendi commissum errorem super sit. Hinc jam pridem ordinatum fuit per Ludovicum XII. Regem Gallia, propositionem erroris non esse admittendam in causa possessionis seu Ecclesiastica seu prophanæ: eo quod post judicatum possessionem superest petitiorum, ubi error in dictione possessionis admittitur corrigi potest. Consonant Ordinationes Parlamenti Mechl. art. 8. & Curia Brabantia art. 667.

XIX. Similiter iisdem ordinationibus præscribitur, nullam propositionem erroris admittendam contra decreta interlocutoria Parlamenti, per definitivam reparabilia: *Semblablement contre appointemens interlocutoires donnez en nostre dict grand Conseil reparables en definitive ne sera admis de proposer erreur.* Id est: Similiter contra interlocutiones decretorias pronuntiatas in magno nostro Senatu, quæ per definitivam possunt reparari, non admittentur ut quis objiciat errorem. Idipsum in Gallia ex ordinatione Regia servatur. Vide Rebuffum in dicto tractatu art. 1. Gloss. 25.

XX. Revisio fieri debet ex iisdem actis, è quibus arrestum quod erroris arguitur, prolatum fuit: nec recipiuntur Partes ad producendum aliquid aliud, ut ex iisdem actis judicetur, ait Rebuffus in prælatione citati tractatu: num. 80. quod & innuit art. 660. ordinatio Curia Brab. cavens libellum supplicem pro habenda revisione non posse tendere ad alleganda nova facta, vel probationes.

XX. De Jure communi si supplicatum fuerit intra 10. dies sententia sive arrestum mandabitur quidem executioni, sed præsertim cautione fidejussoria; si autem post 10. dies supplicatum fuerit, judicatum mandabitur executioni sine ulla cautione. *Auth. QUÆ SUPPLICATIO Cod. De Precibus Imp. offerendis.* Verùm hæc distinctio à foro recessit, testaturque Rebuffus in allegata præfatione num. 38. se non vidisse cautionem præsertim in Regno Franciæ sed executionem factam pendente processu pronuntiauit Senatus Parisiensis anno 1540. ait Rebuffus. Nec tantum quoad principale, sed etiam ipsas expensas, arrestu executionem in Gallia fieri non obstantem propositione erroris asserit ibidem Rebuffus num. 40. & consonat praxis Belgica, satque dilucidè exprimitur art. 660. Ordinatio Curia Brab.

XXI. Est & tertia species provocationis hodie usitatissima præsertim in Gallia, quæ quidem sortitur nomē Appellationis, sed à communi appellatione plurimum distat; nec in Jure nostro occurrit, scilicet appellatio tamquam ab abusu: quæ non appellatur à Jure inferiori ad superiorem, sed à Jure Ecclesiastico ad Parlamentum Regium seu ipsum Regem, tamquam abutente sua potestate & jurisdictione contra jura, quorum tuitio & defensio Regi incumbit.

XXIII. Licet enim abusus significatio quæcumqueque ministerii aberrationem complectatur, sive in negotiis Ecclesiasticis, sive etiam in temporalibus versetur, attamen formula appellationum ab abusu specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querelæ illi, quæ deferretur ad Parlamenta Regia de abusu Judicium Ecclesiasticorum contra

contra Jura Regia, aut ea quorum protectio aut tuitio Regi incumbat.

XXIV. Convenit inter ipsos Pragmaticos Gallia, atque zelosissimos hujus appellationis Patronos, appellationes has vix fuisse in usu ante tempora Ludovici XII. & Francisci I. Regum Franciæ; uti multis ostendit ipse Carolus Fevretius tractatu De Abusu lib. 1. cap. 2.

XXV. Sub initium sæculi XVI. scribens Aufrerius Tractatum De Potestate seculari super Eccl. ait Regulâ 2. Fallentiâ 31. ait, jurisdictionem Regiam se immiscere judicis Ecclesiasticorum in Regno Gallia, "Ubi cumque per Prælatos, Clericos vel alios quoscumque aliquid fit, vel attentatur contra Decreta Basileensis Concilii, & Pragmaticam Sanctionem."

Et Fallentiâ 30. dixerat, eandem jurisdictionem se immiscere judicis Ecclesiasticorum, "ubi Ecclesiastica abutitur notoriè suâ jurisdictione vel potestate. Quo casu etiam contra Clericos concedi solent per Cancellariam litteræ in causa appellationis, ab abusu notorio vulgò nuncupatae."

Ex his Aufrerius verbis colligimus, tunc temporis adhuc distincta fuisse rescripta ob Pragmaticam infractam, & appellationes ab abusu; neque ob contraventionem Pragmaticæ fuisse institutam appellationem tamquam ab abusu; uti quoque rectè advertit Petrus De Marca lib. 4. De Concord. Sacerdot. & Imp. cap. 19. num. 5.

XXVI. Pragmaticæ violatæ rei in Jus vocabantur, nulla appellationis mentione injecta, elegantia ratione, ait De Marca ibidem. Quia cum de actus vel sententiæ nullitate quæretur, necesse non erat, ut ex provocatione ageretur, quemadmodum docet titulus Codicis, quando provocare non est necesse. Quam provocandi necessitatem eo casu expressa etiam Decretalium verba removerunt; imò verò huic remedio nullitatis, etiam post varias sententias, locum esse voluerunt. Cap. 1. §. De Sent. & re jud. & Clem. 1. eod.

XXVII. "In cæteris articulis (pergit De Marca) qui Pragmatica non continebantur, atque adeo eorum nullitas nondum erat constitutio aliqua præjudicata, appellatione utebantur; sed ea cautione, ut abusus mentione injiceretur; ne quis existimaret Magistratum consilium illud fuisse, ut Ecclesiasticam jurisdictionem seculari submitterent. Quare non de re ipsa se judicium suscipituros, sed de potestatis abusu extraordinaria cognitione habita, protectionis Jure oppressis opitulatos hæc formula profitebantur. Simplicem enim & meram appellationem à Curia Ecclesiastica ad Curiam Regiam nuncupationem in Gallia admittam fuisse fatetur Petrus De Cuneo, Masuerus, Joannes Galli."

XXVIII. Itaque eo tempore adhuc vigeabant duo remedia ad retinendam Canonum & Decretorum executionem, scilicet Rescripta ob Pragmaticam infractam data, appellationes ab abusu; uti notat De Marca ibidem num. 7. Uterius addit: Alia formula utebantur, si secularis jurisdictione invaderetur ab Ecclesiastica, scilicet mandatis quibus invasio prohibebatur sub multæ comminatione, quorum meminere antiqui Pragmatici.

XXIX. Publicatis Concordatis, quod contigit circa annum 1518. omnia alia remedia, quibus jam prius uti fuerant, vel ad retinendam Canonum & Decretorum executionem, & jurisdictionis secularis defensionem, abrogari ceperunt; visumque satis est, omnia illa remedia (de quibus videri possunt De Marca & Fevretius locis citatis) unica formula complecti, appellationis ab abusu; ea præcipue de causa, quod Regis Constitutionibus Ludovici XII. & Francisci I. præsertim erat & abolita nullitatis ratio apud tribunalia Judicium, etiam in causis civilibus, & omnia adversus sententias auxilia ad appellationis solemniam erant reducta, uti ibidem monet De Marca.

XXX. Itaque hodie & custodia Canonum & autoritas, his appellationibus ex Jure Regni Gallia retinetur: instituanturque appellationes ab abusu cum adversus Decreta Conciliorum, receptas consuetudines & Jura Regni aut Van Espen Jur. Eccl. P. III.

Jurisdictione Regiam Judex Ecclesiasticus aliquid per abusum attentat: quod his verbis à Pragmaticis effertur solet: *Cum violantur Decreta, Constitutiones Regie, & libertates Ecclesie Gallicanae.* "Et generaliter, si constanti usu recepti Canones, vel inveteratæ consuetudines, adjectæ in fundandis Beneficiis conditiones, privilegia Ecclesie legitime indulta, vel cætera in quibus (ait De Marca) libertates Ecclesie Gallicanae constitui solent, aliquo pacto violentur, appellationibus istis omnia restituentur in integrum, & in contrarium acta rescinduntur."

XXXI. Hoc tamen discrimine lites ejusmodi instituantur, ut si de Rescriptis Romanae Curia per obreptionem elicitis agatur, ab executione Rescripti, non autem à concessione provocetur; ut etiam hoc loquendi genere reverentia quæ Apostolicæ Sedi debetur, omnibus significetur. Secus se habet in Episcoporum Judiciis; à quibus, non autem à sola eorum executione, appellari solet.

XXXII. Constat has appellationes primitus dictas fuisse ab abusu notorio, quemadmodum ex supra relatis verbis Aufrerius manifestum est: aitque Rebuffus in Tractatu De Appellat. tamquam ab abusu: "In hoc Regno introducta est appellatio, quæ vocatur à notorio abusu: in quo præsertim & notoriè quis sanctis Decretis ac Constitutionibus, privilegiisque Gallia perperam utitur." Unde aliter non veretur Petrus De Marca lib. 4. De Concord. Sacerdot. & Imp. cap. 20. num. 2. "Debet eo solum casu institui, cum abusus est apertissimus, notorius, & manifestus, juxta veterem harum appellationum formulam, quæ ab abusu notorio inscribatur, alioqui in specie dubia & controversa satius est Ecclesiasticis Judicibus litem relinquere." Pluribus hoc requiritum asserit Fevretius De Abusu lib. 1. cap. 2. num. 5. citatque nonnulla arresta, quibus declaratum fuit, appellationem non esse admittendam, nisi occurrat abusus notorius; dicitque merito usum appellationum tamquam ab abusu ad hanc formulam revocandum; obligandosque appellantes, ut unà cum libello supplicis exprimerent notorios abusus, super quibus suas appellationes vellent fundare: ut si hujusmodi non essent, declararentur Appellantes non receptibiles.

XXXIII. Jam pridem Philippus Probus in notis ad Sanctionem Pragmaticam tit. De Causis §. Si verò, verbo In partibus, optabat, ut exprimerentur determinati casus per Concilium Tridentinum (quod tunc agebatur) quibus hæc appellationes institui possent: "Utinam super hoc certum fieret Decretum per ipsum Concilium (Tridentinum) ubi casus cognitionis hujusmodi abusu decesserentur certi: quod si non fiat, semper Clerus murabit, & nunquam ille in animo & sua Jurisdictione stabit tranquillus, cum per eum appellandi modum Jurisdictionis Ecclesiasticæ nervus serè in totum sit contritus & diruptus."

XXXIV. Idipsum sapius optavit & à Rege postulavit Clerus Gallicanus, uti testatur Fevretius loco citato, ac signanter anno 1606. sed frustra; hoc unum respondente Rege, appellationes tamquam ab abusu semper fuisse admittas, quotiescumque contraventam fuit sacris Decretis, Conciliis & Constitutionibus Canonicis, authoritati Regia, & Jurisdictioni ejus, Legibus Regni, immunitatibus & libertatibus Ecclesie Gallicanae, & Arctis Parliamentorum in conformitatem illorum pronuntiat: & quia impossibile erat casus particulares determinare, qui ex generalibus causis proveniunt, Sua Majestas mandavit omnibus Parliamentis, ut ecutent sollicitè, ne Ecclesiastici prætextu harum appellationum in sua Jurisdictione turbentur. Utque frequentia earumdem restringatur, voluit, ut Judices pronuntiant, benè vel malè & abusive Judicatum, & condemnent in multam 120. librarum illum qui Judicatur malè appellasse, uti latius refert Fevretius.

XXXV. Appellationem hanc esse remedium extraordinarium, nec illud assumendum, nisi in causis arduis, & ubi Publicum pateretur, nemo Pragmaticorum ambigit. Observatque De Marca loco citato n. 3. quod Judicia Cano-